



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

22 Beneficium unum, uni est conferendum, & ad summum duo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Apostolicis, sed tantum in auctoritate ordinaria factis, ad tollendam suspicionem fraudis, ut ibi legitur, quæ in Papa cessat, cum ipse sit dominus omnium beneficiorum, & de illis arbitrio suo disponere possit, & eidem (dummodò non sit contra fidem) omnia liceant, & suis constitutionibus non ligetur, Abb. in cap. *magne num. cr. 17. de vot. & vot. redempti.*

21 Quartò, † auctoritate Apostolica provisi non sine vigore litterarum Apostolicarum titulum, & possessionem acquirere possunt, & eorundem beneficiorum possessionem supplicationis vigore apprehendentes fructus, quos ex illis pro tempore accipiunt, non faciunt suos, sed ad beneficia in eisdem supplicationibus expressa, obtinenda, perpetuò inhabiles ipso facto efficiuntur, & ad fructuum ex illis perceptorum restitutionem in utroque foro tenentur, ut in *extravag. Pauli III. cum nobis, §. nec non partes, in eodem Bull. cap. 5.*

22 Quintò, † plura beneficia habere non licet, sed vnum tantum beneficium ecclesiasticum singulis est conferendum, quòd si ad vitam ejus, cui confertur, non sufficiat, licitum erit, ut aliud simplex sufficiens (dummodum utrumque personalem residentiam non requirat) eidem conferatur, concil. Trid. cap. 17. de reformat. sess. 24. cap. vno, 10. q. 3. c. 1. 2. & 3. 21. q. 1. cap. sanctorum, 70. distinct. Diaz. pract. crimin. cap. 48. n. 5. & Ioan. de Lig. in tract. de plu. benef. col. 2. Propterea parochialem ecclesiam obtinens; † si ei alia parochialis auctoritate ordinaria conferatur, habita secundæ parochialis pacifica possessione, prima vacat ipso jure, c. de multa, & ibi Abb. numer. 1. & nu. 16. de prob. Staphil.

in tractat. de grat. expect. tit. de qual. & stat. benef. num. 2. & nu. 40. & Diaz ubi supra, circa fin. Si † verò cum secunda parochiali, aut alio beneficio curam animarum annexam habenti primum parochialem quis retinere præsumit, incurrit pœnam, quòd utraque est ipso jure privatus, & inhabilis ad sacros ordines, & alia beneficia obtinenda, *extravag. execrabilis, §. qui verò deinceps, & ibi glos. in verb. ipso jure, de prob. & dignit. conc. Trid. in cap. 4. de reform. sess. 7. & Mandos. in addit. ad Lap. alleg. 48. in ver. ipso jure.*

23 Habenti † simplex beneficium, quòd ad vnius non sufficiat sustentationem, poterit Ordinarius aliud beneficium conferre, ex disposit. conc. eod. c. 17. non autem plura, quàm duo, etiam quòd tenuis sint redditus, nec ad vnius sufficiant sustentationem, ut à sacra congregat. Card. super declaratione decretorum eiusdem conc. Trident. fuit super eodem cap. 19. decisum, ut in decis. sub tit. *Ravennaten. & alia sub tit. Veronen.* † Plura autem beneficia simplicia ultra duo auctoritate ordinaria obtinens, quia illa possidet contra ejusdem sacri concil. Trid. dispositionem, & sic sine titulo, dicitur intrusus, & non facit fructus suos, sed illos, uti fur, restituere tenetur, ut post plures citatos, tenet Grassi. decis. aur. cap. 97. numer. 48. par. 1. & incidit in pœnam, quòd poterit tunc alius ultra duo jure privari, & etiam ultra unum si illud ad sustentationem sufficiat, quia cœtera sine Papæ dispensatione absque mortali peccato retinere non valet, cap. conquirente, & ibi Abb. numer. 2. de cler. non residem. Navar. cap. 25. numer. 127. & Grassi. d. cap. 97. numer. 17.